Fonti. 1890 & 1901 Annali Genovesi di Caffaro e de' suoi continuatori e L. T. Belgrano 6 v 1224

Primizl iam plenus dierum, postquam iura instituit legum, quem[g] coluit[h] vivus[i] ut deum, raptus est ad Cereris generum[5]. Cui Nezamizl[k] successit in regnum. Hunc ubi mors rapuit, Mnata principales obtinuit fasces. Quo decedente ab hac vita Voyn[l] suscepit rerum gubernacula. Huius post fatum Vnizlau[m] rexit ducatum. Cuius vitam dum rumpunt Parce, Crezomizl[n] locatur sedis in arce. Hoc sublato e medio Neclan[o] ducatus potitur solio. Hic ubi vita discessit[p], Gostivit[q] throno successit[6]. Horum igitur principum de vita aque et morte siletur, tum[r] quia ventri[s] et somno dediti, inculti et indocti assimilati sunt peccori, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima fuit oneri[7];